

reliquis sive præteritis, sive futuris censet non assimilari illis, sed solum cognosci, vel in causa, vel in effectu. Favet etiam Scriptura, quæ sicut notitiam futurorum dicit esse propriam Dei, ita et præteritorum: ergo sicut futura non possunt cognosci in se certo, sed solum in causa, et quantum ipsa causa potuerit manifestare de determinatione eorum, quod si causam determinatam non habuerint, nihil manifestabitur de illis; sic et præterita non poterunt manifestari nisi in effectu quem reliquerint. Antecedens constat ex illo Isaiaë xli: *Accedant, et nuntient nobis quæcumque ventura sunt, priora quæ fuerunt nuntiate, et ponemus cor nostrum, etc.* Super quæ verba Hieronymus: « Dicite, inquit, nobis vel præterita, vel futura, et ex eorum eventibus vestram potentiam demonstrate. » Ubi æqualiter ponitur in ipsius divinitatis signum, futura cognoscere, et præterita. Nec potest hoc intelligi de præteritis, quorum memoria exstat aut vestigium: nam de his etiam homines recordantur, quanto magis Angeli, et sic frustra in divinitatis testimonium, eorum notitia adduceretur. Nec etiam per aliud extremum loquitur de præteritis moralibus tantum, et quæ solum pertinent ad cogitationes cordis: nam hoc modo etiam dicemus quod futura, de quibus ibi loquitur, sunt solum futura moralia seu cogitationes futuræ, reliqua vero quod intelligit Angelus: æqualiter enim de præteritis loquitur, et de futuris: constat autem quod quæcumque futura contingentia solus Deus certo cognoscit. Denique favet ratio, quia præterita non possunt cognosci nisi vel in seipsis, vel in effectu, sicut futura, vel in seipsis cognosci debent, vel in causa. In seipsis cognosci non possunt, quia jam transierunt, et non sunt: nec etiam in

effectu, quia, ut supponimus, nulum reliquerunt. Nec etiam in ipsa determinatione speciei, quia hæc determinatio fit ex appositione, et reproductione rei de novo productæ, quæ assimilatur illi speciei: ergo ex vi illius solum applicatur, et determinatur species ad rem productam dum est vel producitur, et assimilatur ipsi speciei. Transeunte ergo re non amplius assimilatur ipsi speciei, nec species manet determinate, et applicate similis ipsi rei, quia solum determinatur erga illam prout res ipsa producitur, seu descendit a Deo, et similis redditur speciei, non vero ad ipsam ut præteritam, quia jam non derivatur a Deo, nec pertinet ad universum. Unde ut repræsentetur tamquam præterita, debet sufficere species alia determinatione, quatenus scilicet cognita est, et sic manet memoria de illa, quia memoria est repræsentatio de re ut aliquando cognita: nec enim recordamur nisi eorum quæ cognovimus; quæ enim nunquam vidimus, non per recordationem, et memoriam, sed per novam notitiam de novo cognoscimus: vel debet respicere effectum aliquem in quo virtualiter contineatur res præterita, et respectu talis effectus respicit per illam determinationem effectum illum ut præsentem, rem autem in illo contentam, ut præteritam.

XXXI. Ad fundamentum vero oppositum respondetur, quod per productionem objecti resultat in specie Angeli determinatio, et applicatio similitudinis talis speciei ad illud objectum prout existens, et productum, quia sic emanat ab ipsis ideis; et sic applicatio ipsarum specierum resultat ad tale individuum in quantum individuum præsens est, et producitur, seu a divinis ideis descendit ut pertinens ad hoc universum, quia illa determinatio fit in

tuitu, et ratione productionis rei, et secundum assimilationem actualem speciei ad ipsam rem. Quare ipsa re transeunte, et desinente esse, desinit talis assimilatio, et determinatio speciei erga tale individuum, aut individui erga talem speciem, si quidem talis determinatio, et applicatio est ad res illas, prout sunt in universo, et prout producuntur, et emanant ab ideis divinis: sic enim etiam effluunt in mentem angelicam, eique repræsentant quidquid effluit a Deo prout effluit, et prout ab ideis descendit; et quia specifica natura semper, et perpetuo derivatur a Deo, sive in hoc individuo sive in alio, semper manet in Angelo species repræsentativa specificæ naturæ; quia vero individua non manent, nec semper effluunt a Deo, non manet etiam ex derivatione Dei determinatio, et applicatio ad istud individuum repræsentandum in se. Unde oportet recurrere ad aliquid quod maneat de facto, et in cuius virtute contineatur res præterita, scilicet vel quia manet aliquis ejus effectus, vel quia in specie manet aliqua ejus memoria, memoria autem est de re prius cognita. Quod si nec fuit prius cognita ut in memoria remaneret, nec effectum sui reliquit, omnino nullum principium manet in Angelo unde tale individuum cognoscat.

XXXII. Et si inquiras: Quid additur illi speciei per hoc quod Angelus usus fuerit illa ad hoc ut dicatur posse per illam cognoscere rem præteritam, non autem per speciem qua non est usus, ut per istam non possit cognoscere tale individuum, respondetur addi quod species illa possit fungi vice memoriæ, quatenus per cognitionem in qua usus fuit tali specie, manet species determinata, non solum ad repræsentandum objectum in se, sed ad repræsentandum objectum fuisse cogni-

tum; hæc autem est conditio rei pertinentis ad memoriam ut recordetur objecti tamquam antea cogniti; et sic quia Angelus tam per suam naturam, qua cognoscit suas potentias, et actus, quam per species quibus usus fuit ad talem actum eliciendum manet determinatus ad repræsentandum actum quem elicit determinate, et in illo repræsentata fuit, non solum natura, sed etiam tale ejus individuum; ideo recordando actum illum, seu rem illam ut taliter cognitam, recordari potest, et cognoscere illud individuum quod præterit, et cognovit.

XXXIII. Instabis: Sicut præterit individuum, ita præterit actus ipse cognitionis: ergo si propterea non potest immediate repræsentare illa species individuum, quia jam transivit; et sic derivatio illius a Deo jam non est præsens, similiter neque actus ipse cognitionis præteritæ repræsentabitur, quia jam præsens non est, nec derivatur a Deo.

Respondetur actum ipsum non cognosci in se, sed in suo effectu quem reliquit, videlicet in ipsa potentia, et specie qua usus fuit ad talem cognitionem; et sic manent cum aliqua determinatione erga talem actum præteritum, quatenus aliquis modus seu ordo relinquitur, seu repræsentatio actus ad quem talis species concurret; sicut nostræ species manent in memoria repræsentantes non solum rem ad extra, sed etiam quod fuerit cognita; atque adeo et actum ipsum cognoscendi, quatenus species ad illum determinata, et ordinata manet aliquo modo seu ordine superaddito, quia realiter talem actum elicit; et sic potest manere aliqua determinatio, et ordo erga illum, seu repræsentatio illius ut cognita.

Ad id quod Vasquez affert ex patribus, quod solum negant Angelis

cognitionem futurorum non præteritorum, jam ex loco allegato Scripturæ, et D. Hieronymi, oppositum manifeste constat.

XXXIV. Quoad tertium, scilicet de ratione D. Thomæ qua probat futura ista contingentia ab Angelo naturaliter non cognosci, constat efficacem esse, licet Vasquez disputatione cccviii citata, cap. ii, teneat ratione philosophica, et a priori veritatem hanc monstrari non posse. Est tamen efficax ratio S. Thomæ, quia procedit ex propriis, et per se in hac materia: Angelus enim non potest cognoscere hæc futura nisi vel in seipsis, id est, ut extracta a causis, et existentia actu, vel ut in causis, et in potentia, non in actu in se. Primo modo non possunt cognosci ab Angelo nisi cognoscat ipsam mensuram, seu durationem in qua actu ponentur illa futura, ita quod illa mensura sit præsens sibi, et actu existens: nam si illa sit etiam in potentia, et intra causas, non poterit videri, et cognosci in se, sed prout in potentia, et consequenter neque in illa contentum, et mensuratum videbitur nisi in potentia, et in causa. Solum autem est duplex mensura durationis, alia propria ipsius rei futuræ, scilicet illa pars temporis, in qua producit futurum in se passive, alia inadæquata, et superior quæ continet, et ambit illam, et totum tempus indivisibiliter amplectitur, scilicet æternitas, quæ est principium, et causa totius temporis. Hanc mensuram æternitatis Angelus non videt, quia est ipse Deus; et sic neque futura in illa intuetur in seipsis. Primam mensuram, scilicet tempus videt Angelus, sed nondum illam partem successuram videt in se actu, sed in potentia, quia successura est ex partibus temporis quæ nunc fluunt actu, et in istis solum continetur in potentia, et in causis

a quibus ille motus, et tempus proveniet: non ergo videt illam mensuram temporis futuri in se actu: ergo neque mensuratum, et contentum in illo. Restat ergo quod Angelus solum potest videre futura prout continentur in suis causis proximis, et creatis, a quibus suo tempore procedunt. Istæ autem causæ solum indifferenter continent illud futurum, et indeterminate, et contingenter, quia modo contingenti illud producturæ sunt: ergo intellectus respiciens ad tales causas non potest ex vi illarum determinationem futuri contingentis elicere.

XXXV. Sed dicit Vasquez non concludere hanc rationem, quia non obstante quod causa ipsa sit indifferens et determinata, tamen altera pars contradictoria in ipsis futuris determinate est vera, et altera falsa: ergo utraque est scibilis determinate, et sicut a Deo scitur, cur non ab Angelo, cum sit res ordinis naturalis? Igitur cum illa veritas determinata sit etiam comparata cum sua causa, poterit in illa ab Angelo determinate cognosci. Et dato quod non possit proprio, et quidditativo conceptu futurum in se cognosci, unde probatur quod nec etiam alieno, et connotativo? Quod si per species infusas a Deo cognoscit Angelus, non apparet cur etiam non habeat proprium, et quidditativum conceptum de tali futuro.

XXXVI. Cæterum hæc responsio jam supra a nobis allisa est, et locis ibi citatis. In summa dicimus quod vis contradictionis non determinat veritatem aut falsitatem suarum partium: veritas enim sequitur ad entitatem, cum sit passio illius, et inde accipit determinationem, sicut et entitas ipsa quæ directe cognoscitur. Nec lex contradictionis petit aut facit talem determinationem, sed solum quod si una pars est vera, altera sit falsa, non quod ista, vel

illa vera sit determinate. Ridiculum enim est dicere quod ista propositio: Petrus cras ambulabit, ex eo quod illi apponam contradictoriam (quod omnino per accidens est) reddatur certa, et determinata. Quare hæc determinatio veritatis in futuris non oritur ex vi contradictionis, nec ex natura ipsius futuri contingentis in se, quia ex natura sua est contingens, et indeterminatum, quomodo ergo ex eadem natura oritur quod sit determinata veritas, et contingens, hoc est indeterminata. Et eodem modo ex causis creatis, et determinationem, quia causæ contingentes sunt. Quomodo ergo ex illis habere potest simul determinationem, et certitudinem. Restat ergo quod si determinationem, et certitudinem habet, est ex ordine ad decretum divinum, quo Deus id determinat. Sed Angelus non potest naturaliter hanc causam videre, neque naturam futuri per ordinem ad causam divinam, sed per ordinem ad causas creatas, vel ex propriis suæ quidditatis terminis, et in neutro invenit determinatam certitudinem, si quidem invenit contingentiam.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES A
PRINCIPIO.

XXXVII. Ex dictis fere omnes solutæ sunt. Ad id quod proposuimus in initio dubitationis ante expositionem sententiarum, facile respondetur; dicimus enim ab initio fuisse infusas Angelis species rerum, sed non æque determinatas, et applicatas ad omnia individua, sed dependenter ab eorum successione, et derivatione a divinis, ut dictum est. Quare repræsentant naturas prout descendunt a Deo in talibus vel talibus individuis causis, et circums-

tantiis, et ita illa individua quæ producuntur actu, repræsentant actu, quia repræsentant quæ descendunt a Deo prout descendunt. Quæ vero nondum producuntur actu, non repræsentant actu, sed prout in aliqua causa, vel causis de facto continentur, quia causæ illæ præsentis sunt, in seipsis autem repræsentantur quando præsentis erunt, et existentes fient, quia sic repræsentantur sicut ab ideis descendunt, et ita quando descendunt illa individua a Deo, etiam in mentem Angeli effluit a Deo non nova species, et repræsentatio novi objecti, sed ejusdem nova applicatio, et determinatio ad hoc individuum, eo quod ante repræsentabatur quidditas seu natura, ipsaque existentia, duratio, et reliquæ circumstantiæ per modum quidditatis, et in abstracto copulantur vero, et repræsentantur ut applicata, et exercite determinata ad hoc individuum, quando illud producit ab ideis divinis, et non ante, quia species illæ in Angelo non repræsentant res nisi prout descendunt ab ideis, et eo modo, et ordine quo descendunt. Unde licet non sit nova infusio speciei, est tamen nova variatio quatenus diversimode applicantur natura, et principia individuantia, cæteraque repræsentata ante, quasi in abstracto, et quidditative, modo repræsentantur ut applicata in actu exercito, quia sic modo fiunt a Deo, et non ante, et species illæ repræsentant res ut fiunt, et descendunt ab ideis. Et sic non repræsentant individua absolute, et independenter ab omni successione, sed repræsentant principia individuantia, et naturas rerum cum dependentia ab ideis divinis, prout ab ipsis emanaverint, emanant autem successive, et sic successive fit determinatio, et applicatio in speciebus, ut illa individua repræsentent in exercitio existentia. Et quando

instatur, quia veritas illorum futurorum est creata : ergo alicui lumini creato manifesta, distinguo antecedens. Est creata, et indeterminata, seu contingens in se, et in causis proximis, et nondum producta determinate in actum, concedo; est determinata in causis creatis, vel in se, nego. Ergo potest manifestari lumini creato, ut determinata, et certa, vel in seipsa, nego; ut contingens, et indeterminata, transeat; quia hoc esset excedere propriam rationem talis futuri, et talis veritatis, ut ad causas creatas pertinet, et oporteret inquirere determinationem ejus in causa divina, seu decreto Dei determinante. Sed hoc naturaliter impervium est Angelo, et cuilibet lumini creato.

XXXVIII. Ad ea quæ objecta sunt contra primam sententiam.

Ad primum respondetur, quod illa variatio intrinseca in specie non est essentialis, seu formalis, sed modalis, seu determinatio quædam virtualiter, et implicite contenta in illa specie ex vi suæ primæ infusionis, nunc autem de novo explicata ex vi ejusdem infusionis ad positionem objecti singularis. Vocamus variationem essentialem, seu formalem in specie, quæ fit circa principale, et formale objectum, ejusque motivum, quod est ipsa natura specifica, seu res nova, quæ ante, nec in abstracto, nec in exercitio, nec implicite, nec explicite repræsentata est; hoc enim est quasi primum repræsentatum in specie, et non potest ex alio priori oriri. Variatio autem modalis, seu determinatio materialis consistit in applicatione aliqua eorum quæ repræsentabantur quasi in abstracto, et quidditative, et modo determinate applicantur in exercitio hic et nunc posita aliqua conditione, quæ ante non ponebatur. Et hæc variatio licet intrinseca sit, id est, intra speciem ipsam facta, non

tamen corrumpit, et variat intrinsece speciem, quia hoc ipsum petit species, et accipit virtualiter ex vi prioris infusionis, et suæ formalis repræsentationis, quod repræsentet rem, non quomodocumque, sed cum omnibus ad talem naturam pertinentibus, non absolute, et independentem ab alio, sed prout descendunt ab ideis divinis. Et quia successive descendunt singularia; ideo ex ipsa vi sua habet ut nascatur nova determinatio, et applicatio ad hoc individuum, quando de novo illud producitur a Deo, sicut grave ex vi suæ generationis accipit ut quoties removetur impedimentum moveatur motu sibi intrinseco, et reali. Unde hoc tantum abest quod corrumpat repræsentationem speciei, quod potius id exigit ex sua natura, et in id prorumpit: oritur enim ex vi prioris repræsentationis tali modo exemplatæ ab ideis divinis, unde in vi prioris infusionis fit ab ipsis ideis hæc determinatio, et explicatio speciei intrinseco modo, sine corruptione ipsius, quia potius ab ipsa specie emanat ex infusione idearum, tamquam quid explicitum ex virtualiter implicito: sicut enim nos ex collatione plurium specierum unam formamus, ita Angelus in una simplici specie habet virtualiter, et implicite plura, quæ successive explicantur.

XXXIX. Ad secundum dicitur, quod illa variatio non fit ab objecto efficienter, licet positio objecti requiratur ut conditio: sed fit efficienter a Deo, et ab ipsis ideis divinis tamquam debitum ex vi primæ infusionis, quæ hoc ipso quod producunt aliquid singulare in universo producunt illud in mente Angeli, licet non speciem novam infundendo, sicut infunderet si novam aliquam speciem crearet. Itaque infusio speciei solum fit propter repræsentationem alicujus naturæ, quæ de novo

fit a Deo, quia species angelicæ directe repræsentant naturas, quia secundum universalitatem repræsentant. At vero propter repræsentationem novi singularis non exigitur nova species, sed determinatio seu modificatio aliqua speciei præ-existentis. Quia enim species in mente Angeli sunt quædam similitudines exemplatæ, et sigillatæ ab ideis divinis, repræsentant res ut descendunt ab ideis. Et quia descendunt primo in aliquibus singularibus, in quibus primo creantur species: deinde succedunt alia singularia; ideo ex vi prioris infusionis sic repræsentant naturas in illis primis individuis, quod petunt repræsentari easdem in individuis succedentibus. Unde ex vi prioris infusionis repræsentantis res ut descendunt, et conservantur a Deo, consequitur quod productis novis individuis in quibus natura illa conservatur a Deo, illa repræsententur ut id in quo exercite et applicate existit talis natura. Et sic talis variatio est effective ab ideis divinis antecedenter ad concursum, quem dat Angelo ad cognoscendum, et utendum illis speciebus, sed talis effectio debetur, et consequitur ex vi prioris infusionis, qua infusa est species sigillata ab ideis divinis, ut repræsentaret naturas quæ ab eis descendunt juxta modum quo descendunt, et sunt in hoc universo, scilicet cum successione individuum.

XL. Est tamen adhuc contra hoc instantia difficilis, quia sequitur ex hoc quod cum Angeli fuerint creati in ipso initio temporis quando creatum est cælum, et terra, et tunc adhuc non producebantur aliæ species creaturarum, quæ per sex dies creatæ sunt a Deo, consequenter in primo suo instanti non acceperunt Angeli omnium istarum rerum species, sed successive productæ

fuerunt cum productione ipsa rerum, quia sic effluebant ab ideis divinis: ergo in primo instanti creationis non sunt producti Angeli pleni sapientia, contra id quod Scriptura dicit, et supra ostendimus. Et sequela patet, quia replebantur sequentibus diebus illis speciebus rerum, quæ a Deo creabantur: ergo non fuerunt in primo instanti pleni sapientia, usque ad septimum diem quo Deus requievit ab omni opere suo. Tunc autem jam Angelus lapsus erat, præsertim si est verum quod hominem tantavit sexto die, vel paulo post. Quando autem Angelus est lapsus, omnem suam scientiam habebat.

Respondetur in sententia D. Augustini qui tenuit illos sex dies non fuisse naturales, et temporibus discretos, sed unum diem diversis operibus distinctum, argumentum non procedere, quia tunc simul factæ sunt creaturæ in se, et in mente Angeli, de qua sententia videri potest S. Thomas, infra quæst. LXXIV, articulo secundo, nec enim illi audet præjudicare, sed probabilem reputat. Et tamen adhuc in sententia Augustini currit eadem difficultas quoad plantas, et animalia, quæ ipse sentit non fuisse in actu in primo temporis initio, sed solum virtualiter, postea autem fuerunt facta in actu, ut ibidem S. Thomas notat. Quare dicendum est quod in illo primo instanti creationis receperunt Angeli species totius universi eo modo, et ordine quo procedebat a Deo, loquendo secundum naturalem modum suæ cognitionis; et sic intelligitur accepisse omnes species ab initio suæ creationis, juxta modum quo res fiebant a Deo; et sic ita cognoscebant opera facta primo die, scilicet cælum, et terram, quod in eis videbant cætera, quæ in talibus causis continentur virtualiter, et nondum in actu, quousque a Deo

creabantur. Et sic etiam creati sunt pleni sapientia in ordine naturali juxta modum quo res ipsæ naturales, et totum universum procedit a Deo. Cæterum secundum supernaturalem cognitionem, scilicet cognitionem fidei dum duravit via, etiam secundum peculiare illuminationes, et visionem gloriæ, dum successit beatitudo, sic cognoverunt omnia etiam in actu, quia circa omnia aliquid operabatur fides, quæ creatorem omnium credebatur Deum, et circa hominem plura cognoverunt per fidem, et in Verbo postea, Angeli sancti, et tamen homo factus est die sexto. Secundum hoc ergo pleni sapientia creati sunt, etiam in actu, supplente fide aliisque peculiaribus illuminationibus, multa quæ nondum secundum naturales species poterant cognoscere, quia nondum erant in actu, sed successive fiebant.

Ad ea quæ contra secundam sententiam objecta sunt.

XLI. Ad primum dicitur, quod cum D. Thomas dicit res non existentes non habere naturam, per quam assimilantur speciebus angelicis, non loqui de sola similitudine relativa, quæ fundatur in convenientia extremorum, sed de assimilatione completiva, et determinativa specierum ad ista individua quatenus ex transmutatione singularium provenit, quod istæ species aliquando assimilantur ipsis, aliquando non, ut dicit idem S. Thomas quæst. xvi de malo, art. vii ad ix. Igitur assimilatio illa qua res assimilantur speciebus in mente Angeli est assimilatio non solum ex parte rerum se tenens, sed in speciebus ipsis resultans per novam determinationem, seu applicationem ex ideis divinis proveniens, qua positis objectis, et productis resultat intentionalis assimilatio applicata istis individuis hic et nunc.

Dicitur tamen ex parte objecti inæqualitas ista assimilationis se tenere, quia ex eorum mutatione tamquam ex conditione requisita aut termino provenit, quod in speciebus angelicis immutetur illa determinatio, et completa assimilatio ad individua producta, et quia in ipsis rebus fit substantialis mutatio dum producuntur in esse, vel desinunt, in speciebus autem non, sed solum modalis aliqua applicatio, seu explicatio repræsentationis præhabita. Ad præterita autem manet determinatio in specie, supposita cognitione illius per modum memoriæ repræsentantis rem ut cognitam sicut dictum est. Quomodo vero supernaturaliter repræsentari possint futura, jam explicatum est.

Ad secundum contra istam sententiam respondetur aliquam mutationem dari in speciebus, quando res de novo producuntur, non essentialem, et formalem, sed modalem, et applicativam, ut declaratum est, quæ etiam dici potest explicita, et in actu, cum antea esset virtualiter, et in potentia. Neque contra hoc currunt difficultates allatæ contra primam sententiam, quibus abunde satisfactum est, et ostensum quod hæc variatio non corrumpit speciem illam, sed perficit, et extendit, seu magis explicat, quia id petit ex natura sua, hoc ipso quod repræsentat naturas eo modo, et ratione qua procedunt in hoc universo ab ideis divinis.

Ad rationes contra tertiam sententiam non oportet respondere. Nam in quantum probant debere dari variationem specierum in sui repræsentatione essentiali et formali, non probant; modum vero, et completivam admittimus ex ideis divinis convenientem modo explicato. Et sic non oportet immorari.

ARTICULUS III.

Qua ratione Angelus non cognoscat naturaliter cogitationes cordis?

I. Cogitationes cordis, et secreta cordis idem sunt, et dicuntur talia quæcumque ex libero voluntatis usu proveniunt intra potentias interiores, quæ libertatem participant, et nullo effectu exteriori extra illas producuntur, et exeunt. Itaque ea omnia quæ sub dominium cadunt voluntatis, vel per elicientiam in ipsa voluntate, vel per directionem ejus in intellectu, vel per imperium ejus in ipsa voluntate, et intellectu, et appetitu, aut in quacumque potentia capaci libertatis, et indifferentiæ, dicuntur secreta cordis, quamdiu in effectu, vel signo aliquo externo, seu extra illas potentias posito non manifestatur, eo quod hæc sunt propria hominis in quantum homo, id est, ut libero et humano modo operans; sic dicuntur a solo homine cognosci, juxta illud I ad Corinth. II: *Quæ sunt hominis nemo novit, nisi spiritus hominis qui in ipso est.* Et nomine effectus, vel signi manifestantis secreta cordis non solum intelligimus, quæ externis membris fiunt, sed etiam quæ internis corporis mutationibus quas Angeli, licet nobis occultas perspicacius vident. Et ita notavit S. Thomas hic q. LVII, art. IV, quod cogitatio cordis cognoscitur non solum per actum exteriorem, sed per etiam immutationem vultus, et multo magis Angeli et dæmones, quanto subtilius hujusmodi immutationes occultas corporales perpendunt. Loquimur ergo in præsentia non de cogitationibus et secretis cordis, quatenus aliquo signo vel effectu sive interiori sive exteriori producuntur, sed quatenus clausa manent intra potentiam libere operantem.

II. De his ergo cogitationibus liberis consideratis in se, et non in effectu, vel signo manifestatis, certum est a solo Deo cognosci de facto. Hæc assertio sicut jacet est de fide, aut proxime de fide, et in hoc male audit Durandus qui in II, dist. VIII, q. V, n. X sensit cogitationes et effectus cordis unius Angeli posse ab alio cognosci non solum quid sint, sed circa quid sint. Sed nostra assertio constat manifestissimis Scripturæ testimoniis. Dicitur enim II Paralipom. VI: *Tu solus nosti corda aliorum hominum.* Nec dici potest cum Durando loqui Scripturam de cogitationibus tam præsentibus quam futuris: sic enim solum est proprium Dei eas cognoscere. Contra hoc enim est, tum quia hoc non solum de cogitationibus cordis, sed de quibuscumque effectibus liberis, seu contingentibus dici potest, unde nihil speciale diceretur de cordium secretis; tum quia expresse loquitur Scriptura de cogitationibus cordis præsentibus, dicit enim: *Propitiare, et redde unicuique secundum vias suas, quas nosti eum habere in corde suo: tu enim solus nosti corda filiorum hominum:* et eodem modo III Reg. VII: *Ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus, quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum.* Ubi aperte loquitur Scriptura de cognitione eorum, quæ aliquis de facto habet in corde, non de futuris cogitationibus, sed: *Sicut videris, inquit, cor ejus:* vel: *Quas nosti eum habere in corde suo.* Non dicit habiturum, sed habere: ergo loquitur de cogitationibus præsentibus, non futuris. Et rationem reddit: *Quia tu, inquit, solus nosti corda filiorum hominum:* ergo etiam præsentia secreta cordis solus Deus novit, et tamquam quoddam divinitatis insigne, et proprietatis ejus ponitur perpetuo in Scriptura.